UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De s[an]cto Pontio ep[iscop]o martyre. Cap[itulum]. clxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

dicebant. Tandem ꝓpter metū paganorum ad inuicem cōuenerunt: vt fortunati corpus vicentie ſecum ferrent: felicis xͦo aquileie remaneret. Qui paſſi ſunt pridie idus maij.

¶ De ſanctis Victore ⁊ Corona martyribus. Cap.clxviij.

Victor martyr ⁊ corona ſub Antonio impatore in ſyria paſſi ſunt. Qui victor cū ignem ⁊ verbera venena equuleum vngulas atqꝫ ardētes lāpades ſuperaſſet: ⁊ in ipſꝰ omnibus in chriſti confeſſione immobilis redderetur. Corona cū eſſet vxor cuiuſdam militis ⁊ cepiſſet ſanctū victorem beatificare ob martyrij ꝯſtantiā: vidit duas coronas de celo lapſas vnā victori: ⁊ alterā ſibi miſſam. Cūqꝫ hec cunctis audiētibus proteſtaretur: ipſa quidē inter arbores duas ſecta per mediū: victor quoqꝫ decollatus eſt. Sicqꝫ martyriū ſuum conſumauerūt in pace: pridie idus maij. Hec ado in martyrologio ſuo ſumpto a beato hieronymo.

¶ De ſctō Pontio epō ⁊ martyre. Cap.clxix.

Pontius epus ⁊ martyr tēporibus valeriani ⁊ galieni ſub claudio preſide in gallijs ciuitate cumella paſſus eſt. Huius pater marcus noīe vrbis rome ſenator. Mater quoqꝫ iulia nobiliſſima fuit. Que cum ipm adhuc invtero geſtaret templū iouis ingreſſa eſt: vt cōceptiōis munera offerret. Tunc ſacerdos idolorꝫ immūdo ſpū vexatus clamare cepit: filiū ex iulia naſciturū magnū iouis templuꝫ deſtructurū. Qd mr audiēs corpus ſepius lapidibus tūdedat: vt fetus in vtero deperiret. Sed dei grā illeſum puerū cōſeruauit. Cū aūt natū infantē mr ꝑimere vellet a patre prohibita eſt. Et dū puer eſſet ⁊ ad ſcholas philoſophorꝫ accederet: audiēs die quadā xpianos pſallētes. Simulacra gentiū argentū ⁊ aurū ⁊c. Verborꝫ veritatē meditaꝛ ad ſanctū pontianum papaꝫ ingrediꝛ: et ab eo vna cū quodā eius collega in fide inſtruiꝛ: ac in xpi nomine baptizatur. Qui matre in gētilitate defuncta patrem conuertit ad xpm. Eoqꝫ mortuo in locū eius dignitati ſenatorie ſurrogaꝛ. Qui etiā duos philippos imperatores patrē ſcꝫ ⁊ filiū ad fidem conuertit. Deīde dignitate relicta acceſſit ad gallias ꝑdicādas ⁊ in ciuitate cumella epsꝰ factꝰ eſt. Tādē a claudio ꝑſide pro fide xpi teneꝛ ⁊ in equuleo leuaꝛ: vectibuſqꝫ impoſitis diudū torquetur: ſꝫ equuleo repētino ſonitu deſtructo ī amphitheatrum duciꝛ: ⁊ duobus vrſis ferociſſimis nudus exponiꝛ: qui eorum venatoribus interfectis ad pedes ſancti martyris procūbebāt. Inde iubēte preſide igne circa eū accenſo vt cremaretur: ſummitas amphitheatri cōburiꝛ: ipe xͦo oīmino intactus ab igne produciꝛ. Dū autē ad templū iouis immolaturus adductus eſſet: templū cū idolo in puluerē redactū eſt. Sicqꝫ mādato ꝑſidis ibidē capite trūcaꝛ. Et ſubito claudiꝰ in furorē verſus linguā ſibi dētibus corroſit: ⁊ oculi anubij aſſeſſoris ⁊ in paſſione pontij ꝯſultoris de capite eius auulſi ſunt. Cuiꝰ corpus ibidem a balerio comite ſepultū eſt pridie idus maij.

¶ De ſancto Barbaro martyre. Cap.clxx.

Barbarus martyr paſſus eſt ī ciuitate muthonis ſub iuliano impatore. Qui cū abijſſet in regionē francorꝫ cōtra hoſtes imperij habēs ducē militie noīe bacchonem: et ille victoriā obtinuiſſet: in ipo bello barbarus martyr ⁊ xpianꝰ miles fuit: qui ſtrenue et viriliter ſe geſſit: quod imperator audiens comitē illuꝫ fecit. Poſt hec dū franci peterēt ſingulare certamē. Baccho dux barbarū contra francorum athletā miſit. Qui protegēte ſe angelo in chriſti nomine aduerſariū in duello occidit. Sicqꝫ franci a bacchone et romanorū exercitu fugati expugnanꝛ. Cum aūt baccho barbarū propter habitū triumphū ad deorū ſacrificia inuitaret: et ille ſe chriſtianū aſſereret: baccho hec imperatori nūciauit: qui barbarū detentum: ⁊ īmolare recuſantē: dicētēqꝫ ſe a beato cyriaco baptizatum: nulla ratione poſſe deos gentilium adorare. Fecit ipſum iulianus ſuſpendi: et gladio ventreꝫ eius tādiu radi donec interiora omnia defluerēt. Sed orante ſancto ab angelo gabriele ſibi apparēte interiora eius viſibiliter collecta in ventrem eius repoſita ſunt: ⁊ ſciſſura eiꝰ conſolidata: ipeqꝫ depoſitus permanſit incolumis. Quo viſo miraculo: bacchus cum duobus militibus: ſcilicꝫ callimacho ⁊ dionyſio cōuerſi ſunt: ⁊ in chriſti confeſſione iubēte iuliano decollati: deinde ſanctū martyrem fecit rote ferree alligatum circūduci igne ſuppoſito et oleo ſuperfuſo. Martyr autem orans permanſit inuſtus: flamma quoqꝫ erumpēs duos ex gentilibus interfecit. ¶ Poſt hec in carcerem barbarus mittitur: ſed apparente ſibi domino confortatur. Mane autē facto eductus in quattuor lignis extendiꝛ: ⁊ neruis taurinis ante et retro ceditur: deinde caminus in tres dies incendiꝛ: vt in eo immitteretur: in quo martyr chriſti ſeptem diebus incombuſtus omnino permanſit: et ex eo quaſi ex ſuaui balneo ꝓſiliuit. Miſſus eſt poſtmodū in carcerem: ſcorpionibus et ſerpentibus ibidē iniectis: quos omnes ab eis intactꝰ ſigno crucis effugauit. Inde ī boue eneo ſuccenſo fecit eū imperator includi: ſed ipe ab